



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Hemmingus Ep. 21. Junii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

21. Junii. VITÆ SANCTORVM. 317
omnes cum ipso patre cælo insertos. Et felicitatem hanc tam sancta familia ducibus Apostolorum DD. Petro & Paulo deberet, qui post hospitii tesseram PVIDENTEM sacris undis admoveverunt, & uti animum, ita animi socium corpus candidâ veste induerunt. Et servavit ille utramque ab omni labore eximiam, ædesque suas commune miseris hospitium fecit. Demortui virtutes hereditario jure sibi debitas liberi certatim involarunt, quamvis vivente, & arridente patre, idem jam fecerant. Ædes in templum versæ; patrimonium in pauores dilapidatum; tota familia (capita numerabat XCVI.) omnis sacro fonte lustrata; latebræ afflictis Christianis datæ; firmati nutantes; roborati morientes; mortui terrâ tumulati. Sacra à Novato & TIMOTHEO fratre omnibus ministrata. Denique non jam in templum tantum, sed cælum migrasse domum tam sanctam dixisses. Certè cælo digna ab ipso cælo iudicata est nobilissima hæc familia; in quam utinam more veteri transire ignobiles nos terræ filii aliquando possimus! Ex Ferrar.

Voca Deum Patrem, & da operam, quatenus tibi sit celestis vita, divini mores, & forma Deitatis tota tua preferatur in formâ; quia celestis Pater respondentibus generi suo filios muneribus ditat divinis; degenerantes ad pœnalem revocat servitutem. S. Chrysol. serm. 71.

S. HEMMINGUS EP. 21. Junii.

IN HEMMINGO Aboënsi Pont. à primis annis jam eæ morum geminæ emicuerunt, quæ infulae olim majestatem decerent; ita jam tum in puerio nihil puerile præter ætatem erat. A ludis omnibus alienus, totus studiis seriis jam tunc occupatur, & in his ipsis unius DEI gloriam quærebat,

sem-

semper in cælum collimans unicum scopum suum, sed Christiano homini, ut non aberret, satis magnum. Et talis ille etiam duravit, postquam Collegio Canonicorum adscriptus fuit, nisi quod tunc, ut alii nummorum, ille virtutum potius censum augeret. Dignum ergo tunc Superi judicarunt, cui D. Brigittæ ortum non sine miraculo nuntiarent. Visa enim est precanti HEMMINGO puella è nube lucidâ librum apertū orbi porrigere, & vox ad aures ejuscemodi allapsa: *Nata est Birgero filia, cuius admirabili voce universus mundus personabit.* Sed & ipse HEMMINGVS pro concione saxa molire, & ad DEVVM feros animos voce suâ trahere, & jam Regibus etiam ac Pontificibus reprehensione aures vellicare; omnes interea orationes incipere à VIRGINIS laudibus, & suis scilicet finire. Temporis avarus ad verba otiosa mutus adfuit, ad epulas verò Tantalus. Pro oculorum portis excubabat, ne has ulla femina visa subiret, erantque tam sanctis vigiliis tessera illa verba è sacris nostris: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Inter preces sæpè aliò, moriens denique interficendam in cælum est abreptus. Ex Vite Aquil. Vastovii.

Deus te, qui caelestem tibi Patrem vocas, ad caelestem vult tendere naturam, ut generi tanto vita respondeat; ne terreni mores degenerent, quos caelestis donavit & coniulit natura. S.Pet.Chrysol.serm.69.

B. ALOYSIUS GONZAGA

Soc. I. C. 21. Iunii.

MOriturus Aloysius nascendo erat, si non parienti matri Mater MARIA affuisse. Inter prima ejus verba JESVS & MARIA feruntur, boni omnis. Puerulus etiamnam in singulis scalarum

gra.

22. In
gradu
horas
hujus
titulor
per, d
so co
ciliari
admo
narun
tres a
cibus
diceret
ter: I
manci
nos di
SVMP
tatem
gnas, L
ret, ir
velo 1
lutare
ad cor
verò e
nulliu
men m
Aloysi
Perf
oportere
na igno
videnti.
SS. A C
Q h